

moniti ab episcopis et abbatibus emendentur; quod si audire contempserint, severius districti suum ordinem repetere compellantur. Qui vero per inopiam a suo proposito deviaverunt, si ipsa inopia per necessitatem generalem¹ contigit, prout potest fieri, emendetur, donec largiente Domino melius atque perfectius talem inopiam emendare possimus; si vero per duriciam aut negligentiam praelatorum evenit, praelati ipsi diligenter admoniti si emendaverint, bene: si emendare noluerint, ab ipsa praelatione removeantur. Similiter et in canonicis² atque³ sanctimonialibus observandum esse sancimus.

V. Quia in dehonoratione sanctorum locorum Deum frequenter offendimus, volumus atque statuimus, ut quicquid ab ecclesiis Christi iniuste et iracionabiliter nostro tempore ablatum esse cognoscitur, pristinae potestati competenti ordine restituitur.

VI. Volumus eciam et diligentissime praecipimus observandum, ut episcopi singuli in suis parrochiis diligenter examinent et sollicite investigent, quicunque publicis sint inretiti flagitiis, hoc est incestos, adulteros, sanctimonialium stupratores⁴, vel qui eas eciam in coniugium acceperunt, homicidas, sacrilegos, alienarum rerum pervasores atque praedones; et hoc per omne regnum nostrum sollicite examinetur, ut quicunque tales fuerint inventi, paenitentiae publice subdantur, aut si hoc noluerint, ab ecclesia separentur, donec a suis flagitiis corrigantur. Similiter de illis fiat, qui in clericatu fuisse et postea comam sibi crescere dimississe noscuntur.

VII. Quia pro peccatis nostris et offensionibus aecclesia⁵ beati Petri hoc anno a paganis vastata est et direpta, omni desiderio et summa instancia elaborare cupimus, qualiter ecclesia restauretur et deinceps ad eam paganorum accessio prohibeatur. Itaque decernimus⁶ et hoc Apostolico per litteras nostras et missos mandamus, ut murus firmissimus circa aecclesiam beati Petri construatur. Ad hoc vero opus collationem pecuniae ex omni regno nostro fieri volumus, ut tantum opus, quod ad omnium gloriam pertinet, omnium subsidio compleatur.

VIII. Admonendi erunt episcopi per omne regnum domni imperatoris Hlotharii, ut praedicent in aecclesiis suis et civitatibus eis⁷, qui sine beneficiis sunt et alodos atque pecunias habent, atque cohortando et incitando suadeant, ut sicut illi

1) 'generale' cod. XXX. 2) 'canocis' cod. XXX. 3) 'et in' cod. XV. 4) 'struptores' cod. XV. 5) 'aecclesie' codd. 6) 'dicerimus' Bluhme. 7) 'eos' codd.; Maassen und Bluhme ergänzen 'et', beziehen 'eos' somit nicht auf 'praedicent', sondern 'suadeant', doch auch dieses erfordert den Dativ; übrigens läge es, falls man es doch zum folgenden beziehen will, näher, die Verbindung durch angehängtes 'que' zu erzielen, das infolge des 'qui' vielleicht übersehen werden konnte. Ducange erwähnt 'praedicare aliquem', aber ohne Angabe der Bedeutung.